



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

669. An pensio cassata, seu viâ redemptionis extincta anticipata solutione egeat literis apostolicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

vendere merito crederetur. Nam dum beneficium resignas Titio, pacto cum eo inito, ut pensionem v.g. 20. Ducatorum, quam tibi reservas singulis annis solvendam, redimat 140. Ducatis, statim solutis, perinde est, ac si dares illud beneficium pretio 140. Ducatorum recepto. Azor. *loc. cit.* Dein, dum pensio non est imposita ex causa cessionis seu resignationis beneficii, vel ex alia causa, ex qua possit argui pactio circa ipsum beneficium cedendum aut resignandum, eam redimere sine auctoritate Papæ, negat esse simoniacum. n. 96. hinc formalibus; Auctoritas Apostolica est perpetuo necessaria; sed non erit perpetuo necessaria pro abitergenda labe simoniæ, nisi ea tenus, quatenus processerit pensio ex causa cessionis seu resignationis beneficii, vel alia, ex qua argui possit pactio circa ipsum beneficium cedendum, aut resignandum. Et ita intelligendos ait omnes, qui nimis effuso sermone pronunciarunt, redimentem pensionem sine auctoritate Papæ committere simoniam, qui sunt multi, cum quibus etiam sentit Moneta *de distrib. quotid. p. 2. q. 18. n. 12.*

4. Quarto Castrop. *tr. 17. d. 3. de simon. p. 13.* postquam n. 3. pensionem soli clerico concessam divisisset quadrifariam; nempe in eam, quæ datur pauperi clerico in sustentationem, quæ datur Parocho seni non valenti amplius deservire, ut se sustentet, beneficium ejus alteri collato. Quæ datur renuncianti beneficium, quod pacifice possidebat. Quæ datur ad litem in beneficio sedandam. Dixissetque cum Valent. *d. 16. p. 3.* quem citat, de omnibus hinc pensionum clericalium speciebus, esse simoniam juris Divini, vendere has pensiones auctoritate propria, ubi Bulla Pii V. edita 1571. in Bullario 138. recepta observatur; eò quod in dicta Bulla Papa pensiones annexat titulo spirituali, obligando pensionarios ad recitationem officii B. Virginis, quo posito, ut ait, cum pensio nihil sit aliud, quam jus percipiendi fructus (intellige, ex alieno beneficio) medio spirituali officio, cum hoc officium invendibile sit, etiam jus percipiendi fructus ab illo inseparabile, fore invendibile. Ubi verò dicta Bulla recepta non est, vendere dictas pensiones esse simoniam juris humani; eò quod ex stylo Curie prohibetur, eas vendi, & venditores tanquam simoniaci puniantur. Denique *a. n. 10.* sentit cum eodem Valent. *loc. cit. l. 2. c. 35. dub. 22. n. 124. Tollet. l. 5. c. 92. n. 6. dicto 3. Suar. l. 4. de simon. c. 26. n. 24. & 16.* quos citat; quamlibet dictarum clericalium pensionum redimi posse propria auctoritate sine simonia. Rationem dat ex Valent. quia, quod per se & immediate acquirit titularis, seu possessor beneficii pensione gravari, redimendo pensionem, est immunitas & libertas ab obligatione & onere pendendi quotannis ex fructibus illius tantam quantitatem, libertas autem hæc non sit spiritualis, neque spirituali per se annexa; nam esto, inde sequatur beneficium beneficiario fore magis utile, & eum facultatem habere retinendi sibi omnes fructus, hoc tamen est extrinsecum & accidentarium redemptioni pensionis, utpote quæ non per se respicit hanc utilitatem, sed solum dictam immunitatem. Atque ita diluit quoque fundamentum opinionis contrariæ, quod proposuerat n. 9. nimirum, quod beneficiarius redimens pensionem reddat beneficium sibi magis utile, quia potest jam percipere partem illam fructuum, quam solvere tenebatur loco pensionis; potestas autem, seu jus colligendi illam partem fructuum sit annexa titulo

spirituali, cum sit propter officium, non secus ac potestas percipiendi ceteras partes fructuum. Addit quoque Castrop. *cit. n. 10.* pro confirmatione, quod redemptio pensionis nihil aliud sit, quam quædam anticipata solutio fructuum, quos singulis annis beneficiarius tenebatur prestare. Ac tandem concludit, his non obstantibus, ad redemptionem pensionis semper solere intervenire auctoritatem Papæ, non quia ea necessaria, sed ad majorem securitatem, & quia jam ex stylo Curie hoc sit receptum.

Quæstio 669. An pensio cassata, seu viâ redemptionis extincta, anticipatâ solutione cogat literis Apostolicis?

Respondeo: non sufficere suppletionem manu Papæ signatam; sed in super expeditionem litterarum Apostolicarum esse omnino necessariam in hac non libera, seu non gratuita extinctione pensionis, ita ut ante expeditionem illarum sit locus penitentia, tenet Lot. *l. 1. q. 42. n. 10.* Contrarium tradit Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 6. n. 55.* hinc expressis: neque literæ Apostolicæ requiruntur, quando pensio de consensu pensionarii cassatur & extinguitur, etiam nonnullis anticipatis, seu anticipandis solutionibus; tunc enim sola Signatura supplicationis super hujusmodi cassatione sufficit cum clausula; quod illa tam in judicio, quam extra illud fidem faciat. Idem tradit Card. de Luc. *de pens. d. 5. n. 3.* ubi talis est recepta praxis, quod super hujusmodi extinctionibus (intellige quæ sūt mediante pecuniâ, seu redemptione per anticipatas aliquorum terminorum solutiones; de his enim immediate ante fuerat locutus) obtinetur beneplacitum Apostolicum, pro quo sufficit sola supplicatio signata manu Papæ, absque expeditione litterarum &c. Et *d. 22. n. 4.* ubi stylus est, sive cassatio pensionis fiat motu proprio, sive ex conventionem partium ob aliquorum terminorum anticipatam solutionem non expediendi litteras; sed quod sola supplicatio signata manu Papæ sufficiat ex Decreto in eadem supplicatione adjecto solito. citat pro hoc Tond. *de pens. c. 28. n. 26. Garc. p. 6. r. 2. m. 13. &c.* qui tamen ibi non loquitur de literis expediendis super pensionis extinctione per dictam ejus redemptionem, sed super illius translatione.

Quæstio 670. An pensio cassata possit deinceps exigi?

Respondeo: Pensio semel extincta, sive gratuita cassatione, sive mediâ redemptione, amplius non reviviscit, licet titularis, seu is, qui pensionem solvebat, de novo se obligaret ad solvendum illam; quia beneficium semel liberatum ab onere pensionis, non potest per beneficiarium iterum reduci ad servitutem sine nova auctoritate, & solemnitatibus requisitis in reservatione pensionis. Ventrigl. *to. 2. annot. 11. §. 3.* citans Marechot. *var. resol. l. 2. c. 18. n. 24. & 25.* Cassat. *de pens. decis. sim. n. 6.* Procederetque id ipsum, etiam si titularis confiteretur, cassationem fuisse factam per metum, ex Marechot. *loc. cit. n. 26.* astringit Ventrigl. *loc. cit.* dum tamen aliunde de dicto metu sufficienter per alias probationes, quam titularis confessionem, constaret, pensio non quidem revivisceret, sed diceretur nulliter extincta, adeoque perfolvenda, Ventrigl. *loc. cit.* Sic quoque tradit Card. de Luc. *de pens. d. 22. n. 2.* quod quamprimum cassata pensio (loquitur de cassatio-